B. N. C
FIRENZE
1004
29

1004. 29

UNIVERSI
CORPORIS
PANSOPHICI

PRODROMUS
DE
GRADIBUS
HUMANÆ COGNITIONIS,
ipſaque
Trinâ Mentis operatione,
generaliter agens,
Quem dicere poſſes
PANTOGNOSIAM.

AUTORE
ERHARDO VVEIGELIO,
Prof. Publ.

JENÆ,
Sumptibus Iohannis Iacobi Bauhoferi,
ANNO M. DC. LXXII.

Inclytæ Facultatis
PHILOSOPHICÆ
in almâ Salanâ
Spectabili DN. DECANO,
Venerando DN. SENIORI,
ceteriſque DN. ASSESSORIBUS
undiquaque celeberrimis,
Dominis Fautoribus atque Collegis
meis honoratiſſimis.

***

Poſtquam Anteceſſores Veſtri, νῦν ἐν ἁγίοις, Viri per orbem celebratiſſimi, Slevogtius inprimis, Stahlius, Zeiſoldus, Gerhardus, unà tecum Dn. Friſchmuthi, Senior venerande, Compater & Affinis obſervande, quem ex omnibus nunc ſolum, faxit DEUS diutiſſimè, ſuperſtitem exoſculor, me, viſis aliquot argumenti metaphyſici, politici, mathematicique, ſpeciminibus, ante hos viginti annos conſortio ſuo vel ultrò adſciviſſent, &, ut in hanc Salanam ex almâ Phylureâ peregrinus evocarer, honorificâ denominatione ſuâ effeciſſent; nihil antiquius hactenus habui, quàm ut Spartam mihi commiſſam in Facultatis ornamentum ita pro viribus excolerem, ut, quæ cum Profeſſore ſuo, ceteroquin ſolidiſſimo Geometrâ, tum extra Collegii pomeria multis ab annis veluti ſeorſim agebat, Matheſis per me, qui gradûs in Philoſophiâ ſummi privilegiis inſtructus acceſſeram, ipſi Collegio propius adſtringeretur, & inprimis intimiori diſciplinarum familiaritate non minùs, quàm externo communium jurium commercio, cum eâ coaleſceret.

Communicatis ad hunc ſcopum conſiliis totus in id incubui, ut clariſſimè ob oculos

 po-

ponerem, Matheſin non eſſe peculiarem, nedum, ut vulgò putatur, alienam à Philoſophiâ diſciplinam, ſed neminem eruditorum eſſe, quamcunque ſcientiam profiteatur, qui non aliquam Mathematum partem ſuæ profeſſioni commixtam exerceat: eſto, quod non pauca ſint, quæ, quod commune fundamentum aliis ſubſternant, commoditatis gratiâ ſeorſim tradi mereantur.

Ipſi Vos eá qua polletis ingenii ſagacitate perſpexiſtis, Metaphyſicum, dum affectionum Entis, inprimis Unitatis & Multitudinis, Durationis, Dividui & individui, Totius & partis, Menſuræ & menſurati, Similitudinis & analogiæ, Rationis & proportionis &c. vim expendit; Phyſicum, dum corporum qualitates ſecundum gradus ſuos, indeque reſultantes doſes, ponderat; Politicum, dum, quanti quævis res & actio civilis haberi mereatur, penſitat, & utrum æquè, magis, vel minùs, hoc ac illud juſtum, injuſtum, bonum aut conducibile, malum aut noxium &c. ſit, examinat; Imò Logicum quoque, Rhetorem & Poëtam, dum conceptibus & orationi ſuæ modum & menſuram ponit; Hiſtoricum tandem, dum res ubicunque geſtas tempore definit, & quod veroſimiliùs inter diverſa recenſeri poſſit, æſtimat; hos inquam omnes eo ipſo *Quantitatis ſcientiam* h. e. Matheſin actu profiteri. Vnicum erat,

rat, quod orbi tantùm non univerſo impoſuit, *Quantitatis* ſc. à Scholaſticis invito Ariſtotele, nedum Euclide, Latinis obtruſa *Definitio*, quâ non niſi quod Extenſum eſt, Quantum aut Mathematicum dici poſſe credebatur, utut mos loquendi non vulgò tantùm, ſed & inter ipſos Eruditos, ubi non ex profeſſo de vocibus definiendis agebatur, contrarium ſemper obtinuerit, ipſique Matheſi Gravitatis, Potentiarum, Soni, Lucis, aliarumque qualitatum æquè, ac Extenſionis & Numerorum, æſtimationes ſub titulo Quantitatis ab ipſis etiam Scholaſticis conceſſæ ſint & imputatæ. Quam quidem perverſam vocis acceptionem, cum multis aliis ingeniorum remoris incuriâ Scholarum natis, quas olim B. Stahlius noſter in Oratione de Diſputationum abuſibus jam multis deploravit ſuſpiriis, ipſi Vos hucusque ſatis frequenter advertiſtis: inprimis Tu, cujus Profeſſionem hæc doctrina propiùs tangit, Metaphyſicorum Sapientisſime, Dn. Hundshageni, Collega integerrime, cujus communicationi multa, quæ ad arctiorem Matheſeos & Philoſophiæ combinationem provehendam faciunt, me debere fateor. Sed & reliquis, quod calcar addiderint, ut ſtrenuè non tantùm, ſed & circumſpectè progresſus hucusque ſim in hoc Diſciplinarum connubio perfectiùs adornando, me ſimiliter teneri non invitus confiteor.

 Cum-

Cumque æquitas poſtulet, ut quibus autoribus hæc *Syzygia* velut *Ariſtotelico-Euclidea* concinnata primùm eſt, eorum nomen perpetuæ recognitionis ergò præ ſe ferat in publicum proditura, non potui quin Inclytæ Facultati noſtræ, tanquam dulciſſimæ matri, partum ex hoc connubio primum eâ quâ decet reverentiâ inſcriberem.

Vos, Viri acutiſſimi, Collegæ honorandi, æquis animis hoc ſinceri affectus τεκμήριον accipietis, &, quod primis tantùm lineis hîc depingitur, commune ſcientiarum vinculum animorum indiſſolubili nexu confirmabitis. Valete & amare pergite

Dabam è Muſæo, Cal. Septemb.
1 6 7 2.

Veſtrum

ERHARD. WEIGELIUM.

Ad

Ad Lectorem.

Utut ipſe malim, Veritates naturales ex inſpectione rerum potiùs quàm ex autorum ſententiis æſtimari; neſcio tamen, quantum in doctrinâ quavis amplectendâ lenocinium exerceat autoritas. Ipſe ſanè tanto gaudio nequaquā ſum affectus, ubi dichotomiam humanæ cognitionis in gradum DENOMINATIVUM & ÆSTIMATIVUM, (quorum ille τὸ *quale* nudum evolvit, & *tale* quid eſſe ſaltem indeterminatè recenſet; hic verò τὸ *quantum* ſeu quàm tale poſtmodum eruit, & *magis* vel *minùs*, *æquè*, vel *maximè*, tale quid eſſe, rem determinando, ſuperaddit) ex comparatione Mathematum cum reliquâ Philoſophiâ primùm perſpexi, eamque ad omne genus Entis expeditiſſimo doctrinæ compendio, maximâque claritatis in rebus obſcuriſſimis uſurâ, feliciter applicari poſſe, tot lucubrationibus in Philoſophiæ bonum ſuſceptis, reipsâ ſum expertus; quanto gaudio perfuſus ſum, ubi Veterum ſapientes idem ſentire prorſus, imò prorſus eodem modo loqui, certior factus, non unum ex Jamblicho teſtimonium in celeberrimi Joh. Schefferi Tr. de Conſtitutione Philoſophiæ Pythagoricæ legi. Quæ quidem teſtimonia licet in plerorumque manibus hucusque fuerint, neglectu tamen genuinæ Matheſeos verum textûs græci ſenſum, quod de Scriptis etiam Ariſtotelicis in Analyſi

lyſi noſtrâ deploravimus, agnoſcere pauci potuerunt. Quem cùm hic tractatus præliminaris aliquantò clariùs in apricum producat, unū illud rogatos velim Lectores æquos, ut animo priùs à præjudiciis quantum fieri poteſt defœcato ſe ad legendum accingant, ita enim reipsâ experientur, nihil hîc novi proponi, ſed idem quod Ariſtoteles reliquiqve Veterum uno velut ore dudum clamarunt, reflexâ tantum voce repeti.

Cumque facile ſit in abſtractioribus aut errare prorſus, aut obſcurè vel ambiguè loqui; maximè vellem, ut ingenuè mecum communicent curioſiores, quicquid hîc quocunque modo deſiderari poſſe videri poterit, ſic enim communis cauſa communi ope promovebitur. Interim conflictui diſputatorio negotium expoſuimus, Reſpondentibus, qui ſequuntur, ordine, quo nomen ſuum profeſſi ſunt.

Nomina
DNN. RESPONDENTIUM.

M. JOH. ALBERTUS CRANZIUS, *Leori-Sileſius.*
M. BERNHARDUS SIVERS, *Hamburgenſis.*
M. JOH. RIEMERUS, *Halla-Saxo.*
M. JOH. CHRISTIANUS KRIMMERUS, *Cizenſis.*
M. MATTHÆUS Weber / *Bila-Schvvarzb.*

Cæterùm, licet magis amica veritas, quam vel Plato vel Ariſtoteles, à me ſemper habita fuerit; neſcio tamen, an utriûsq; cauſam ullus Hyperaſpiſtes magis quàm præſens hic tractatus, & qui ſequentur, egerit, qui plurimis in locis (præſertim ubi perverſa Scholaſticorum verſio textûs immerita in Ariſtotelem convitia recentioribus quibusdam extorſit,) eruto per logometricam interpretationem genuino ſenſu, Philoſophum defendunt, non, quod Statutis noſtris Ariſtoteli magis quàm Euclidi noſtro ſimus devincti, quippe quæ, præter utrumque, varios inſuper Autores, inter quos & Plinius de Mundo, publicè profitentibus æquè commendant, &, ut relictis falſis vera ſolùm ex iis proponantur, jubent; ſed quod vera ſint & naturæ conſentanea, quæ dictis in locis ab Ariſtotele traduntur. Aliàs enim, ubi deflectit Ariſtoteles à vero, mancipium ſit aut hypocrita, qui defenſionem ejus in ſe ſuſceperit; ingenuus, qui cum cordatioribus, inter quos & Stahlius, & Zeiſoldus noſter, ab eodem receſſerit. Quod idem ipſe meos de memet obteſtari ſemper Auditores ſoleo, ne ſcilicet in eo, quod à me dictum eſt, propterea quòd ego dixerim, ſed quod verum ſit quod ego dixi, ponderatis rationibus, acquieſcant. Neque tamen facere poſſum cum Carteſianis, qui Dictaturam Ariſtoteli priùs extorquendam

novo Principi ſuo vindicare nituntur: imò potiùs licet magnam Matheſeos profunditatem ſapere Carteſium lubens agnoſcam, Extenſioni tamen nimium addictus, cùm alterum cognoſcendi gradum in magnitudine ſolummodò quærat, nec veram quantitatem univerſalisſimum quid eſſe videat, quî feliciter univerſæ Philoſophiæ Principia tradere poſſit, non video. Hinc nō in communisſimis tantùm fundamentis quin cogitando deciperetur, licet ipſâ mens in merâ cogitatione conſiſtere ſibi videatur, quantâcunque dubitatione ſuâ cavere non potuit; ſed & in corporis eſſentiâ phyſicâ pro naturalium effectuum radice ſupponendâ, conſueto Scholaſticorum eſſentias eruendi more, quantumcunque dubitaverit, miſerè deceptus, & in alterum extremum præcipitatus, umbram pro corpore, modum pro ſubſtantiâ, ſitum pro re ſitâ, ſubſtituit: quos, ut & ſpecialiores alios, imprimis de Motu maris, errores publicis hactenus ad Euclidis normam expendere Lectionibus inſtitui.

Verùm enimverò, licet Veritatis cujusque momenta non ex alieno, ſed ex proprio fonte, deduci debere mihi ſemper pro certo ſuppoſuerim; bonorum Autorum tamen ſententias comiter obſervandas, & non niſi gratâ mente qualescunque meditationes Veterum accipiendas eſſe, non immeritò cenſui. Proindeque

ſicuti

ſicuti doleo potiùs quàm indignor, quoties A-riſtotelem extra oleas vagari video; ita viciſſim vehementer gaudeo, quoties eum ipſa naturæ veſtigia premere deprehendo.

Maximo verò, quod ſupra dixi, gaudio, perfundor, quando non Ariſtotelem tantùm, ſed & veterum Philoſophorum antiquisſimos, in iis quæ tractatibus hisce boni publici causâ propono, mecum quàm amiciſſimè conſpirare perſpicio. Cùm enim in talibus ex Scholaſticæ Philoſophiæ, quam vulgò docemur, ad Euclideam methodum tentatâ reductione, veluti proprio Marte, perſcrutandis multum laboris impenderim, utut rationum pondera demonſtrativa de veritate, non minùs ac de uſu rei quàm ampliſſimo, me nequaquam dubitare ſinant; novitatis tamen ut videtur, immeritò quidem, exoſo nomine quaſi perterritus animum facilè deſponderem, tantumque laboris (cùm plerique noſtratium novas, i. e. non conſuetas, etſi receptis meliores, ſententias primùm ægrè videantur amplecti velle) quoad ipſos fruſtra ſuſceptum eſſe metuerem, niſi veterum, & inprimis Ariſtotelis, autoritate ſuffultus bonam ſpem conciperem, fore tandem, ut vel hoc nomine, quæ pro compendio dextrè philoſophandi meditatus ſum, non prorſus nullum hîc impetratura ſint effectum. Utut enim probè ſciam, quanto Zelo Matheſin Euclideam com-

mendet, & è contrario Scholaſticorum Philoſophiam & ipſum Ariſtotelem impugnet tum Lutherus tum Philippus Melanchton, vid. Oper. Luth. Germ. Tom. 2. fol. 233. 377. 812. 813. 814. edit. Altenb. tamen, cum Ariſtoteles in præcipuis eorum quæ proponimus ipſa Naturæ veſtigia ſequatur, ejus autoritate non inutiliter hic ad hominem, ut loquuntur, nos uti poſſe confidimus.

Fateri tamen cogor, Pythagoreos antiquiores omnium clariſſima confirmandæ veritatis hujus teſtimonia nobis ſuppeditare, quippe qui totidem ferè verbis idem quod hic diximus eloquuntur, & imprimis duos illos cognoſcendi gradus in hâc Pantognoſiâ prolixiùs expoſitos clarisſimè diſtinguunt, quando non tantùm duplicem tradendæ Philoſophiæ modum conſtituunt, unum *Exotericum* dictum, juxta quem, ut rectè cenſet ſupra laudatus Schefferus, Philoſophiæ ſeu theoreticæ ſeu practicæ fructus *exteris*, qui vel cives illius loci, ſed extra Sectam, vel peregrini prorſus aut hoſpites fuerunt, communicabatur, quibus auſcultantibus omnia populariter tradebantur, *quatenus ad communem vitam requiruntur, & publicè ſalutaria ſunt*; Alterum *Acroamaticum* dictum, juxta quem modum ipſam Philoſophiam ſeu theoreticam ſeu practicam capeſsebant familiares & quaſi domeſtici, qui *ſubduxerant ſe à vulgo vitâque civili, ac conceſſerant in*

ſcho-

ſcholam Pythagoricam, *Philoſophi futuri*, *vi-ctur*ique *ex decretis & regulis ſectæ*, *poſthabitâ communi illâ & in civitate receptâ conſuetu-dine;* Sed & hunc ipſum modum poſtea tri-bus quaſi curſibus, qui tamen ad dichotomiam commodè revocari poſſunt, abſolvebant; pri-mò namque RES ipſas tradebant; poſtea rerum traditarum USUM & praxin commonſtrabant. Res ipſas *duobus* cognoſcendi *gradibus*, quos in hâc Pantognoſiâ prolixè declaravimus, comple-ctebantur, quorũ *primus indeterminatam* per-ſequebatur rationem, τὸ τί ἐστι, ſeu definitiones & denominationes, h.e. ipſas *qualequidditates*, ex-hibens, v.g. ceu Jamblichus ait: τί ἐστιν αἱ μακάρων νῆσοι, ἥλιος, σελήνη. τί ἐστι τὸ ἐν Δελφοῖς μαντεῖον, τετρακτύς; h. e. *quid ſint inſulæ fortunatæ*, *Sol Luna*, *quid ſit oraculum delphicum*, *quaternio &c.* cum iis ipſis, quæ ſimul exotericis proponebantur: quæ omnia per nudam auſcultationem Silentio quin-quennali capiebantur, & proinde, quaſi κατ᾽ ἐξο-χὴν, ἀκούσματα dicebantur. Auditores talium (Acu-ſmatici) non à Pythagorâ ſed à Pythagoreis pro-bati pariter & informati, *Pythagoriſtæ* (velut æ-muli reliquorum) itemque ſimul *Exoterici*, di-cebantur, quod illis oppoſiti *Mathematici* pa-riter & *Eſoterici* dicerentur. *Secundus* verò gra-dus *determinatam* ſuperaddebat rationem, τὸ μᾶλ-λον tradens & τὸ ἦκ μάλιστα, (ſeu τὸ *magis* vel *mi-nùs*, τὸ *maximum*, *minimum*, aut *mediocre*, *tan-*

tum, *æquale*, *plus* &c. paucis *quantitatem* in ſingulis definiens. Quam ipſam Philoſophiæ partem vocarunt *Eſotericam* & μαθηματικὴν, ipſosque partis hujus cultores dixerunt *Mathematicos*, itemq; *Pythagoreos*, & *genuinos*, ipſius nempe Pythagoræ, *Diſcipulos*, cùm Acuſmatici tantùm Auſcultatores & Pythagoriſtæ dicerentur. Solebant & Mathematici φιλοσοφοῦντες dici, ut innuit Jamblichus lib. 6. C. 1. qui & l. 1. cap. 18. ait: καὶ ἐκεῖνοι φασὶν ἔτι μᾶλλον, καὶ ἃ λέγουσιν αὐτοὶ, ἀληθῆ εἶναι h. e. ut Schefferus rectè vertit: *atquè illi* (Mathematici) *dicunt quid ſit* MAGIS TALE, *quodque aſſerunt, id ita verum eſſe probant*. Ab hoc ipſo tamen gradu nomen Mathematicorum in utramque claſſem, & conſequenter in totam Acroamaticam Philoſophiam, ut fieri ſolet, per antonomaſiam redundabat; ſicuti viciſſim etiam ipſa Mathemata ſæpius ἀκούσματα dicebantur. Imò vox ἀκουσμάτων generaliùs adhuc interdũ & ipſa exoterica complectebatur, quippe quod hæc ipſa quoque per auſcultationem apprehendebantur. Scilicet cùm in exotericis Pythagoras tradiderit ἀκούσματα potiſſimùm practica, ſaltem ἀναπόδεικτα, καὶ ἄνευ λόγων, ὡς οὕτω πρακτέον, καὶ τὰ ἄλλα, h. e. *ſine demonſtratione, ſine rationibus, e. g. dicendo ſaltem, quod ita faciendum ſit*, &c. hic in Acroamaticis, & quidem in prima claſſe, præmittebat ἀκούσματα Theoriæ fundamentalia, ſimiliter ἀναπόδεικτα, definitiones nim, & denominationes rerum & actionum, itemq; ſen-

ſententias nudas, ut in exotericis, ſine ſubjunctis demonſtrationibus, quod ex eo quod Jamblichus de Hippomedonte l.1.C.18. dicit clarè patet ſi textus græcus inſpiciatur. Sed in alterâ claſſe, tanquam in primâ Eſotericorum, tradebat ἀξιώματα ἀποδεικτικά, i. e. τὰ μαθηματικά, nempe cauſas & demonſtrationes, h.e. certas & determinatas dictorum rationes, & cum diſcipulis in hâc claſſe conſtitutis δι' ἀποδείξεως καὶ τῶν μαθημάτων ἐνετύγχανεν, h.e. *per demonſtrationes & mathemata, ſeu determinatas rationes* (quas paulò ante dixit αἰτίας, itemque λόγους) *agebat*, vel, ut aliàs loquitur Jamblichus, πάντων τούτων ἐκείνους λόγους καὶ ἀποδείξεις (i. e. *rationes proprias & demonſtrationes*) εἶπεν. Nam ut Schefferus ait: Λόγοι *nihil aliud ſunt quàm* μαθήματα, *à quibus dicta Mathematica Philoſophia; quia* λόγοις *hisce, rationibusque* (determinatis) *omnia* (ſive naturalia, terreſtria, cœleſtia, ſive moralia fuerint,) *in eâ firmabantur. Adverſus quam* (pergit) *propterea prolixè ſcripſit Sextus, Empiricus vocatus, ut qui ex Philoſophiâ ſuâ nullas certitudines crederet vel exiſtere, vel ſciri poſſe. Neque enim alii ſunt* Μαθηματικοὶ, *quibus ſuum opus oppoſuit* quàm qui mathematicè philoſophabantur, quos ipſos ibidem quoq; Phyſicos præſtantiſſimos dicit: unde conſtat, Matheſin tum temporis à verâ Philoſophiâ nondum fuiſſe ſeparatam. Synecdochico tamen ſenſu Mathemata dicta ſunt ſimpliciora illa, puriora

& ab-

& abſtracta *Mathemata* Numerorum & Figurarum, alias *Geometrica* dicta, quæ primo ſtatim loco tradebantur inter Mathemata reliqua; quibus poſtea *Mathemata Phyſica*, quæ κατ' ἐξοχὴν Philoſophiæ naturalis nomen meruerunt, ſicut & *Mathemata moralia*, quæ Philoſophiam moralem abſolvunt, ſubjungebantur: omnia verò ex ipſis Numeris & Figuris, non, ut multi perperam intelligunt, propriè quatenus talibus; ſed per applicationem doctrinæ Rationum & Proportionum, in numeris & figuris tanquam in clarisſimâ ſpecie generaliter traditæ, ſuccinctè demonſtrabantur, & *Symbolis* i.e. characteribus, ut hodie fieri ſolet in Analyſi ſpeciosâ, quæ vulgus non capit, involvebantur.

Uſus & *Praxis* non in moralibus tantùm, unde *Theologia* pariter & *Politica*, ſeu Juridica; ſed & in ipſis naturalibus, unde *Medicina* cum *Mechanicâ*, tanquam quatuor Facultates, reſultarunt, tradebatur, quæ, præſertim Theologica, non niſi diſcipulis intimis, quos θεωρηκότας, τελίους, σεβαστικοὺς, appellat Porphyrius, communicabantur. Hæc tamen, unà cum Mathematicis theorematibus, omnem Philoſophiam Eſotericam abſolvebant. Et hoc modo clara ſunt, quæ Jamblichus & alii de Philoſophiâ Pythagoricâ ſcripſerunt, quibus gemella prorſus in Corpore noſtro Panſophico, cujus Caput Summum hic Prodromus introducit, invenies. Vale.

Pan-

Mc